QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, Die Iouis xxxii. Nouembris.

M. FRANCISCO MALLET, DOCTORE MEDICO, Moderatore.

An prægnanti periculosè laboranti abortus?

VT NVTRIMVR similibus, sic curamur contrarijs : vomitus vomitum, diarrhœa diarrhœam tollit, rheum biliosam cacochymiam contrariorum lege, non similium, vt vani Chymistæ somniant. Curationem quam congeniti morbi non admittunt, insinuat ἔνδειξις, quæ est comprehensio iuuantis vnà & nocentis rei. Nocet morbus, morbi causa, & symptoma: sed symptomatis vt curatio nulla, sic nulla indicatio, vt neque ætatis, sexus, temperamenti, regionis, tempestatis, constellationis, quæ moderari quidem catharsim & phlebotomiam possunt, omnino prohibere non debent. Grauidæ, infantes, senes, biliosi, Æthiopes cùm res postulat, vtrumque præsidium sustinent cum εὐφορίᾳ.

PERICVLOSA quidem hæc præsidia ægris omnibus ἀλόγως administrata, sed prægnantibus omnino perniciosa : vbi verò cum ratione præscribuntur, & morbos abigunt, & interuertunt abortum, quem vllo tempore prouocare non licet nisi corrupto fœtu. Quamuis à grauiditate malè habeat mulier, nefas tamen fœtum elidere, aut conceptum excutere; si proprio laborat vitio, piaculum. Cùm autem quæ vtero gerit, obnoxia sit omnibus morborum generibus, ita & omni præsidiorum apparatu indigere potest, quæ abortum quouis mense

difficilem & periculoſum prohibeant, vitámque fœtæ & fœtus, operationes omnes motus & ſenſus, vitalem quidni? cum hæmatoſi & homœoſi in vtero obeuntis cuſtodiant.

VTERO gerentium proprij affectus & mola non ſine virili ſemine genita, & abortus nonnullis congenitus, & λυζητεράπυλος: illa ſui perpetuo ablationem inſinuat: hic ſui inhibitionem, qui cùm ſit immaturi fœtus excluſio, omnis prẹter naturam cenſendus habetur, ſeu morbi magnitudine, ſeu medicamenti virtute contingat. Abortum minantur vel accelerant dyſenteria, ſenibus & pueris calamitoſa, teneſmus laudano perlato non ſiſtendus, aluus liquidior, dolor colicus, quem mellago Saturni irritat, continua febris, & acuti omnes præter naturam affectus, chronicorúmque nonnulli, vt febres quotidianæ, nullis ſpecificis cedentes, epilepſiæ maribus quàm feminis familiares magis, arthritides inediâ profligandæ, catarrhi, tuſſes efferæ, &c.

AB vteri & fœtus vitio non minùs quàm à materno ſanguine abortus cauſæ erumpunt. Vteri anguſtia, læuitas, relaxatio, eryſipelas, cancer ἀνίατος, fœtus crudos ante tempus à natura definitum, quod eſt à ſeptimo menſe ad vndecimum, foras eliminant. Ipſe fœtus numero & mole impar vtero, immaturum ſibi parat exitum: quem quoque promouet ver poſt auſtrinam & pluuiam hyemem ſiccum & aquilonium, inordinati fœtus motus, languor eiuſdem ac imbecillitas, ex attenuatione mammarum maternarum & menſtrui ſanguinis profluuio deprehendenda. Periculoſus quidem omnis abortus, ſed minùs primis quàm vltimis menſibus, paribus magis quàm imparibus; primiparæ mulieres, graciles admodum & craſſæ, ſanæ & quæ maturos fœtus edere conſueuerunt, abortiendo magis periclitantur.


NON caret periculo abortus qui medicamentis prouocatur. Apage ἀμβλωθρίδια καὶ φθορόποια medicamenta, cæteráque ἀποφθαρματικὰ aſſumpta, admota, iniecta, aliáve ratione procurata. Quid ſi periculoſẹ laborat fœta? quid ſi vterus excluſionem tentet? omni arte vteri conatus compeſcendus eſt, fœtus alendus & confirmandus, erigenda quæ vtero gerit, prẹſidijs omnibus, alterantibus & euacuantibus. Venæ ſectio cùm res exigit ſæpius iteranda ex brachiorum, non poplitum venis, cùm ad auertendum abortum aëtite lapide, magnete & vri pelle prẹſtantior exiſtat: non omittendæ quoque hirudines, cucurbitulæ, catharſis crebra, ſed blanda, etiam vltimo grauiditatis menſe vtilis,

aquæ minerales, diuretica, sudorifica, frictiones interdum ex hydrargyro, quæ fœtum & fœtam lue venerea infectos sanant; cætera demum quæ morbos matris profligare, & immaturi fœtus exclusionem inhibere valent.

Non ergo prægnanti periculosè laboranti abortus.

Proponebat Lutetiæ GVIDO PATIN, Bellouacus, Schol. Archid. Anno R. S. H. M. DC. XXV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Franciscus Mallet, Præses.
M. Iacobus Iouuin.
M. Petrus Sauare.
M. Claudius de Pois.
M. Petrus le Comte.
M. Ægidius le Blanc.
M. Claudius Charles, Medicus & Prof. Regius.
M. Quirinus le Vignon.
M. Dionysius Guerin.

PARISIIS,

Prostant Exemplaria apud NICOLAVM BOISSET, Typographum, in vico Diui Ioannis Bellouacensis, è regione Collegij, ad insigne Cordis Vulnerati. M. DC. LIIII.

cette these est la 684e du recueil in folio tome IV des theses de la faculté.